



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

Conclusio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

Num. 30. Carolus IV. Imp. committens Wenceslao Comiti Aduocatiam sic scribit, *Illustri Wenceslao Comiti Luxemburgensi fratri nostro charissimo, aut ei, qui pro tempore ibidem esset Comes &c.* vide sub Num. 38. Fridericus IV. Imp. in suis hæc habet. *Illustri Duci Luxemburgensi Principi & consanguineo nostro charissimo presentibus & futuris, quibus presentes exhibita fuerint.* vide litteras sub Num. 47. Sed & Conradus in suis de anno MCXXXV. sub Num. 32. prædictorum modum loquendi fatis exponit. Postquam enim Aduocatiæ suæ iura explicasset, sic concludit: *Hæc igitur per sententiam nobis dicta, & in privilegio Domini Henrici IV. Regis Romanorum, alijsque privilegijs Romanorum Imperatorum & Regum expressa & confirmata, rata habemus, nobisque & omnibus Successoribus nostris inuolubiliter tenenda in perpetuum relinquimus.* Ex quibus plus quàm sufficienter liquet, Aduocatiæ Maximinianæ Principibus Luxemburgensibus hæreditariam esse, & à maioribus ad posteriores iure successiõnis deuolutam.

Denique ex seruitiis, quæ ratione Aduocatiæ debebantur Principibus Luxemburgensibus, non ut Giselberto, Conrado &c. sed ut Comitibus Luxemburgensibus, unde & antiquissima Monasterij monumenta & documenta sic habent: *Hæc sunt curia, quæ Comiti Luxemburgensi debent seruitium, Mudeuurt, Mambre, Sconeberre, Merttert, Lindiche &c.* considera Diplomata Imperatorum supra citata, scilicet Henrici Nigri, Senioris, Iunioris, Caroli IV. Friderici IV. Itemque Conradi Comitum, videbis præfata iura & seruitia Comitibus Luxemburgensibus, eorumque Successoribus à tot sæculis debita & adiudicata fuisse.

#### CONCLUSIO.

**E**X ijs, quæ hoc capite relata sunt, manifestè concluditur, Hispaniarum Regem potentissimum hodie feliciter regnantem, eius maiores, quatenus Duces Luxemburgenses iure hæreditario & irrefragabili Aduocatiæ supremam & vniuersalem in Abbatiam Imperialem S. Maximini eiusque omnem ditionem exercuisse & exercere, atque ad hoc officium præstandum, non modo impelli ab ingenita sua Clementia & Magnitudine, quo omnes sibi à maioribus traditos Clientes Regiæ tuentur, verum etiam ob seruitia, quæ hodieque *Schirmsfrucht* / *Schirmgelt* / *u.* id est fruges, pecuniæ protectoriales, vocantur, & quotannis ipsi à Maximinianis subditis præstantur, & à Regijs quæstoribus recipiuntur, ad id iure obligari.

